

34-6-1-18-19

19

172

# SPIRITVS DOMINI

NASCENTE MVNDO, SVPER AQVAS :  
SVRGENTE ECCLESIA, SVPER IGNEM.

ORATIO  
IN DIE PENTECOSTES  
HABITA

IN SACELLO  
PONTIFICVM  
VATICANO,

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII.  
PONT. MAX.

A GASPARE LASCARIS NICIENSI.

*Sem. Rom. Conu.*

*J. m. C.*



REVISED

AND

OF THE

REVISION

OF THE

OF THE



EMINENT.<sup>MO</sup> PRINCIPI  
**FRANCISCO**  
 CARDINALI  
**BARBERINO**  
 S. R. E. Vicecancellario.



*GASPAR LASCARIS F.*



*V*AM in umbram planè magnam, sed quam SOLIS efficit meridies, non occasus, ab incendio labentis in flammaram imbrem Spiritus recipere se gessit oratio mea, Eminentissime Princeps . Loqui de Diuinitatis estu amat,

A 3 sed

*sed tuæ humanitatis in umbra: & benignissimum  
 diuini Spiritus, quem pro argumento habet aduen-  
 tum; cum aura coniungere ambit benignitatis tuæ:  
 Huius cum respirabit beneficio, uiuet; uiuet uerò  
 non moritura, cui nomen immortale tuum, omen fa-  
 ciet perennitatis. Hoc Tu dum expressum uides ora-  
 tionis in fronte, noueris insculptum altiùs esse Ora-  
 toris in corde: eadem scilicet & meæ uitæ, & Tui,  
 quem, ut Principum humanissimum, uita plus amo;  
 semper erit sedes. Debitum sic, uti possum, soluam:  
 nam iure, meo esse debes in corde, quando Tibi mea  
 domus, & cura semper fuit, & cordi. Vale.*

*omniſiſſimorum . I . N . 2*



ORA-

# ORATIO.



N iterum Spiritus Domini mundum peragrat R. P. non ut olim, ad fouenda rerum semina, super aquas incedens, sed ad molendam Ecclesiam super ignem illabens. Amorem ibi suum veluti dissimulans, commercio delectabatur vndarum; hic quia totus Amor est, & videri vult amans flammarum se præbet in eluione spectandum: Immo verò, sui ut amoris incendium augeat euentilando, spiritum adhibet vehementem, qui tunc, ut argentibus temperaret aquis, candidæ volucris, in similitudinem incubabat: nisi verius sit, instantem operi Artificem amantissimum, ideò supeditasse ventum incendio, citius ut ablueretur, quod moliebatur, & noua Ecclesiæ moles, Spiritus imperio statim surgeret, quando vetus hæc mundi machina euocanti se de nihilo confestim paruerat Verbo. Illud indubitatum omninò mihi est, ità Ecclesiam fuisse hodie excitatam ab igne, ut rerum hæc Vniuersitas euocata initio fuit ab aquis. Quod cum ostendero breuiter, perorauero.

Diuinum hunc Spiritum Amorem ipsum esse Patris, ac Filij, versatile suam Ecclesiam Architectantis persuadet ingenium. Quis enim nisi amator prodigiorum Amor, consumptore rerum omnium

*S. Hieron. in lib. Habitu quæst. Gen. c. 1.*

*AR. Ap. c. 1.*

*S. Hier. ib.*

*Stenob: in Cosmog: in c. 1. Gen.*

*M. Tul. Cic. 2. de Nat. Deor.*

fabricaret igni, quo fabricarum omnium moles euer-  
 runtur? Sed, qui totus est igneus, de suo ædificare  
 nunc voluit, qui mundum omnem ex aquis educens,  
 fabricasse quodammodo visus est de alieno. De suo,  
 inquam, hoc est infinito Diuinitatis impendio; nam  
 iure quidem potiore, quàm illi, uti semper victurus,  
 suam sibi hodie molitus est in terris domum, non  
 quidem neglecto decore, ut Imperator nescio quis  
 furòre duci solitus ad ædificandum, sed amoris im-  
 pulsus, tanta in opere vniuerso adhibita elegantia,  
 ut decorem domus Domini Regius ille Plaltes di-  
 ligere se potissimum decantauerit. Quòd si rerum  
 hæc Vniuersitas aquarum sepulcrum antè nacta,  
 quàm vitam, tenebris insuper inuoluta sepulcrali-  
 bus, & in cadauerosa prodijt deformitate, & nigram  
 habuit initio faciem; quia tenebræ erant super fa-  
 ciem abyssi; noua hæc Spiritus diuini moles, quæ, &  
 in igne nascitur, & ex igne conflatur vnà cum vita  
 colores pulcherrimos, flammarum purpuram, & cæ-  
 doré lucis accepit. Quid quòd diuinus ipse Spiritus  
 pro Artifice se gessit, ac pro materia, in quo pretium  
 omne inuenitur, & decor? ut Amoris diuini argu-  
 mentum extaret in opere non dubitandum; nam si  
 largiri sua veritatem euincit amoris, se ipsum insu-  
 per erogare libenter, atque profundere, id amorem  
 non persuadet animo, sed oculis planè subiicit, &  
 demonstrat. Quid verò? an non hoc igne fabrica-  
 ta fuit Ecclesia, quæ ipso statim in ortu, ardore suo  
 terram omnem accendit, tanta celeritate simul, ac

*Actian. lib.  
 12. Var. hist.*

*Nicetas de  
 Isaacio Aug.  
 Imp.*

*Psalm. 25.*

*ecc. 1.*

*ecc. 1.*

*Genes. 1.*

vi, vt traiectis missilium more flammærum immen-  
 sis marium spatijs, aquæ multæ, quas inter ferebatur,  
 ardentem non possent extinguere charitatem? Sed,  
 ne terrarum quidem vniuersus Orbis, ad illam ob-  
 ruendam conuersus, quamquam iniectu terræ præci-  
 puè ignem videmus extingui, eius aliquam abole-  
 uit flammæ particulam; immò verò ipsemet ad alen-  
 dum incendium præsentissimam celsit in materiam.  
 Amori siquidem vt res omnes obtemperent, suam  
 etiam naturam abijciunt, & fœdèro cum pugnantibus  
 secum inito. vbi iubetur, vltro induunt alienam.  
 Nam ex veteri prouerbio, Musicam docet Amor, &  
 concordem facit, non modò vocum, sed rerum om-  
 nium harmoniam.

Cant. 8.

Rho dig. lect.  
ant. lib. 2. 7.  
cap. 16.Plutarch. in  
Græc. Sym-  
pos.

Nascente quidem mundo, in eo Spiritus agitantis  
 motu, edita est multitudo sonitus aquarum, sed incõ-  
 dita, qualis nempè in formem decebat abyssum. At  
 Ecclesia ad concordiam nata linguarum, & ad digi-  
 ti Dei sonitum cordium, animorumq; chordas vna-  
 nimes pulsantis extructa, concentum statim edidit  
 suauissimum, quo vel semel audito, posita feritate,  
 melius quàm ad fabulosam Orphei lyram, crimini-  
 bus, flagitijsque viuentes, hoc est belluæ terrarum,  
 mansuetudinem ità didicere, vt collum antea eon-  
 tumax, & refractarium, deinde verò promptum,  
 & alacre iugo subiecerint triumphantis in hac Va-  
 ticana Regia Veritatis.

Psal. 76.

Ecclesia in  
hymn. S. Spi-  
ritus.

Iam verò quid causæ est, quòd in hoc igne spi-  
 ritus Domini cunstanter nunc sedeat, qui fereba-

Ab. Apst.  
c. 2.  
Genes. c. 1.

tur

tur impiger super aquas? An quia non perman-  
*Ibid. c. 6.* sur tunc in homine Spiritus Domini, fugam, recess-  
 sumque suum præfago illo portendebat in motu; nunc verò, cum sederet, ad consummationem vsque  
*Matth. 18.* sæculi donum nobiscum suscipit ad inhabitandum? Hoc certè pollicitus ille fuerat antea, qui Spiritum hunc nobis deinde misit à Patre, quò domesticus hominum Deus diceretur, & fieret, quando  
*Ephes. 3.* Dei domestici homines antea fuerant appellati. Et, ne quid miraculo desit amantis, diuinus hic Spiritus in flammis effusus, ignem, qui pro sede solus  
 habet Cælum, sedere tanquam in centro iubet in terris. Sed ubi Amor est, ibi rerum omnium centrum est; & qui sibi ex hominum cordibus thesaurum, quem amaret, fecerat in terris Deus, ignem sui  
 Spiritus, cor nempe suum, semper etiam esse voluit in thesauro: Nimirum, ubi est thesaurus tuus, ibi  
*Matth. 6.* est & cor tuum; Diuinæ inter homines Sapientiæ fuit effatam. Permanere olim in homine Spiritus Domini non potuit, quia in ea criminum eluione  
 Columba integerrima, ubi pes eius requiesceret, non inuenit. Ipsa etiam ab exordio rerum inuoluta  
*Genes. 8.* tellus aquis, quamquam imperato diuortio ab ijs ita seiuncta est, ut apparet arida, cœnosi tamen quippiam humoris retinuisse videtur immixtum, in quo  
*Ibid. c. 1.* vestigia hominum genere imprimente, ac velut in limo profundi altius infixio, omnis caro corrumpere-  
*Psal. 63.* ret viam suam; & à recta Cæli semita, viaque pacis, lacrymabili pedum errore, in viam abiret ini-  
*Genes. c. 6.* qui-  
*Psal. 106.*



quitatis; & lapsu præcipiti declinaret in Tartara. Sed benè est; Spiritus Domini vrens, quia igneus exsiccauit hodiè cœnum, sordisque dispunxit; vt Ecclesia, filia illa Principis, pulchris sanè gressibus, in calceamentis suis, virtutum scilicet, & pietatis, viam, tam cœno incorruptam incederet, quàm incendio conflagrantem, & ex eo feliciter proseminato, vestigia vbique imprimeret ardentissimæ charitatis. Quo tamen euentu? eo certè, quem mirari vix possum satis; nam, quæ ignis attractu sterilefcere confestim debuerat tellus, ex eo portentosam adèò fœcunditatem induit, vt, quicquid pedes Apostolorum ignei calcarent, non tantùm rosa, sed rosarium fieret gratiarum. Vsq; adèò, quem super. insidens fouet Amor, ignis etiam innouata natura inutilem abijcit sterilitatem. Et hoc certè prodigium nascenti de flammis Ecclesiæ debebatur, ne minorem acciperet ab hoc Spiritu procreandi vim ignis, quàm olim adeptæ fuerant ab eodem aquæ. In hac enim ignea domo; quæ materie sua sterilis esse debuerat, habitare voluit Deus immissa fœcunditate matrem filiorum lætantem. O filios! ò familiam habitantem certè cum ardoribus sempiternis, sed qui, siquidem amoris sunt, non cruciatu deuorant, at recreant beatitate!

Habeant nunc sibi suos aquæ pisces, quos ipsæ à vitali hoc spiritu excitatæ ad fœtum suo pepererunt in sinu; alios in hoc igneo fluuio pro sobole pisces ha-

Cantic. 7.

Persius sat.

S. Aug. serm.  
134. de  
Temp.

Psalm 112.

Isai. 33.

*Matth. c. 4.* habet Ecclesia, in quo Apostoli, magisterio diuinitatis facti sunt hominum piscatores: alios inquam pisces, nam illos necesse habeo in posterum appellare Pyraustas, quippè qui, cœnosis è voluptatum aquis educti, vitam agunt, cœlesti Diuinæ charitatis in igne. Ades huc spectator non minus, quàm patrator prodigiorum Moyses: En iterum ignis, qui cum certè ardeat, non tamen exurit: En pro senticoso rubo soboles florentissima, quæ igneo Amoris afflata Spiritu innocenti flagrat incendio; quæ ideò ardere cogitur, quia in Amoris Regno populus omnis incenditur.

*Exod. c. 3.*  
*AB. Ap. c. 3.* An non hoc hausto igne flagrauit Petrus, qui ad latendum antea, obseratis foribus, angustias quærens, latebrasque cubiculi, in morem postea ignis obstantia deturbantis exsiliens, claustra dirupit, & ignea, quam acceperat è Cælo, lingua perorans, tamquam aptissimo Diuini Spiritus operario, ex omni natione, quæ sub Cælo est, multitudinem inflammauit ingentem; hoc est, lapidibus igneis molem Ecclesiæ mundo parem, diuinum quodammodo æmulatus Artificem fabricauit, non alia molitione, quàm dicto?

*AB. Ap. c. 3.*  
*Viruuln.* Et illa quidem multitudo hac ignis voce facta conuenerat; vt ab igne verè conflatum esse cœtum Ecclesiæ ambigere possit nemo, si minus auctoris grauisissimi fide indubitatum est, cœtum hominum institutum esse tunc primò, cum depulsuri frigus ad ignem plurimi concurrebant: Atque adeò ne quid

quid primigenijs aquis inuidere possit hic ignis, si cete grandia pepererunt illæ, cœtum hic effecit hominum grandiozem, illa portenta naturæ, hunc, prodigium charitatis.

Neque verò prodigiosæ minus nouitatis habet illud, quòd, vt procreari secundum genus suum omnia possent, in locum vnum initio congregari iussæ sunt aquæ, quas Domini Spiritus fouerat incubando; nunc, vt vniuersa procreetur Ecclesia, ignea eluione inducta, effundit de Spiritu suo Deus super omnem carnem: tunc, quia terrarum orbis fuisset inutilis, nisi recessisset aqua, nunc quia infœcunda esset Ecclesia, nisi Diuini Spiritus ignibus mergere- tur. Proderint ex aquarum efficacitate fœcunda; non pisces modò, sed reptilia etiam, volatilia, germina; immò, & quanta sunt mole cœlestia volumina emanarint: inde fortasse naturæ non imperitus nescio quis, aquas rerum omnium arbitratus est esse principium. Certè nouam excitandæ materiam Ecclesiæ deuexit è Cœlo Spiritus, ignem suum: An quia veriùs opinatus est ille, qui constare vniuersa ignibus pronunciauit? Hic profectò ignis vt Vaticano Imperio diadema conflaret, iam tunc capitibus insidens Apostolorum, melius quàm auri, gemmarumque luce, fulgore suo Ecclesiam coronauit. Hic ignis ad referendas Cœli forès in clauas euasit ardentes; non enim aperitur vlli Cœlum, cui summa hæc inter mortales Pontificis Romani potestas de igneo Amoris Diuini thesauro claues non com-  
modet

Gen. 1.  
Ibid.

Ibid.

Ier. 2.

Corn. à La-  
pida in Ge-  
nes.

Thales a-  
pud Alex.  
ab Alex.  
Gen. dior.

Heracitus  
apud eun-  
dem.

modet facibus charitatis accensas. Hoc eodem igne sacrae infusae, ac litui; hoc vniuersa Religionis Christianae supellex intexta est, atque perfecta, & ut amplius aliquid pronunciem, hunc pro aëre spirant ignem, quotquot in libro vitae descripti viuunt hic regnatori viuentium Christo. Etenim, quorum vita Diuinus est Amor, eorum etiam, quem recipiunt, Spiritus, caelestis est ignis. Denique hic idem Spiritus verè suam intus alit Ecclesiam, vt mirari nemo possit iure, quòd illa diuinum spiret; quae tota Spiritu Diuinitatis impletur. Pulchrè etiam, vt propius habeat cum Caelo còmercium, fundatur in Capitibus Apostolorum; siquidem Domus Domini praeparatur in vertice montium, non proceritate molis eminentium, at sublimitate virtutum.

Sed quid est, quòd aquis mundum antea inuoluentibus, vno post modum verbo res omnes euocantur ad vitam; hic verò, vbi Diuinus ignis è Caelo diffunditur, tota flammaram eluio difertissimas, quasi ad facundiùs eloquendum, dispersitur in linguas? An hoc ignearum lapsu linguarum auspicio portendere voluit illustri Deus, vocale suum hoc aedificium fore, è quo effata Sanctissima, Diuinaque oracula redderentur? An verò ex edito caelitùs repente sono, & linguis eloquio seruientibus, ipsis etiam flammis, quas inter noua Christi soboles futurum erat vt viueret, praefagiendi extitit argumentum, quemadmodum aquarum degens in sinu mutum est piscium genus, sic contra, qui viuerent in igne

*Apoc. 1.*

*Virg. 6.*

*Mich. 1.*

*Genes. 1.*

igne futuros esse adedò canoros, & eloquentes, vt eorum sonus in omnem tetram exiret, & verba ad fines vsque orbis terræ feliciter personarent? Enimuerò somniet nunc sibi animo delirante Pythagoras, sonum nescio quem, ex orbium cælestium vertigine, quanto libitum fuerit artificio editum, ac suauitate; hodiernus certè sonus, quò veriùs, eò suauis auribus accidit, qui nempè afflante totus resonat aura diuinitatis. His verò vocibus multò disertam minus cælestium arbitror voluminum eloquentiam; etenim si Cæli enarrant gloriam Dei, qui vno verbo absoluti sunt, an non Ecclesia eloquentior multò erit Diuini Panegyricus Architecti, quæ tota quanta quanta est disertissimis fabricata fuit, ac veluti conflata linguis? Igneis verò conflata linguis, quia ardere illum oportet, qui Deum laudat, hoc est ignem è Diuino sui Vatis oraculo consumentem: Et ille, cuius est ignitum eloquium non aliam nouit linguam, quam quæ flammis loquitur, & perorat incendio: quam vt homines doceret Spiritus Veritatis, totum se ipse finxit in sonum, totum se diffudit in flammam, totum se dissipauit in linguas disertissimus aurium simul, & cordium eruditor.

*Psalm. 18.**Psalm. 18.**Deuter. 4.**Psalm. 18.*

Igneis igitur vectus in linguis eruditam hodie domum Ecclesiæ fabricauit Spiritus, qui olim ad orbem excitandum ferebatur miro silentio super aquas. Et nunc pro sui perennitate perorat ardentè eloquens ædificium. An verò suam nobis cau-


sam

*Tu. Liu.  
Dic. 1. 1. 1.*

*Genf. c. 3.*

fam, immò nostram tot linguis persuadere non poterit? Certè nisi, quam ipsi habitamus, nostram ruere velimus domum, virtutum omnium, Sanctiorum utique Virginum, quàm Vestales excubijs, diuinum, quo fabricata est, ignem seruare cogimur inextinctum. Quis enim non videat tantumdem collapsurum esse de domo, quantum de hoc Diuini Spiritus igne minui patiemur? In ea lacrymabili aquarum eluione, quæ terrarum orbem extinxit, vita rerum naturæ tunc reddita est, cum imminutæ sunt aquæ; at in hac beatissima flammarum pluuia; quæ suo allapsu Ecclesiam excitauit ad vitam, tunc sempiternum ruimus in interitum, cum diuinus imminutus est ignis. Maneat igitur inconcussa domus nostra, vt quæ melioribus; quàm mundus vniversus auspicijs, illabente scilicet in igne meliùs, quàm incedente super aquas Diuino Spiritu excitata est, eueheatur denique more ignis in Cælum, quæ non nisi flammis fabricata fuit in terris.

D I X I.



R O M A E,  
 Typis Hæredum Francisci Corbelletti.  
 MDCXXXIII.

---

*Superiorum Permissu.*